

R. Katalinić Jeretov:

SA PROZORA — DE FENESTRA

De patula somno pressum mare specto fenestra,
aurorae primum basium in id cecidit.
Quam valde mihi sunt haec sacra silentia grata!
Litus adhuc vacuum est, non ibi turba meat.
Quam lugens atram doleo noctem pereuntem
et cupio nondum solis oririer os,
Ast opto redeant umbrae nigraeque tenebrae,
appetit afflictum muta silentia cor,
in tenebris ad me cum clemens advolat umbra,
mulceat ut frontem tristitiamque levet.

Ljubljana.

Vertit: *S. Kopriva.*

Francè Prešeren:

O VRBA! — O PAGE PATERNE!

O tu Verba, paterne page felix,
cara tecta ubi sunt mei parentis,
ne me ex te vagus ille litterarum
seduxisset amor, dolosus anguis!

Nescirem, ut fierent venena cuncta,
quae cor cumque sibi cupit beata;
non adempta mei fides foret mi
atque in me iocus haud forem furorum.

Cor fidele, manus laboriosae,
cum nupta mihi dos nova fuissent,
quam ditissima non habet puella.

Et lembus placide meus nataret.
Vicinus tegeres domos ab igne et
messem a grandinibus, beate Marce.

Ljubljana.

Vertit: *S. Kopriva.*